



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. Quousque Summus Pontifex dispensare possit in gradibus
consanguinitatis, & affinitatis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

contractum fuisse tale matrimonium; si enim ignorans impedimentum tale contraxit aliquis, sive facti, sive juris illa ignorantia sit, quamvis etiam sit culpabilis, modò non sit affectata, matrimonium tale, non incurrit hanc excommunicationis pœnam, cum jura requirant ad illam incutendam, scientiam. Vide de aliis pœnis *Gloss. hic V. Iuribus in fine.*

SECTIO III.

De dispensatione in impedimentis consanguinitatis, & affinitatis dirimentibus matrimonium; & de impedimento publicæ honestatis.

§. I.

Quousque Summus Pontifex dispensare possit in gradibus consanguinitatis, & affinitatis?

Quòd in omnibus gradibus consanguinitatis & affinitatis solo jure Ecclesiastico matrimonium dirimentibus dispensare possit Summus Pontifex dubitandum non est, cum hic superior sit omni jure Ecclesiastico; & quavis Tridentinum *Sess. 24 c. 5. De reform.* velit, ut in secundo gradu (lineæ transversæ) nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam; benignitas tamen Pontificis, cui à Concilio manus ligatæ non sunt, dispensat nonnunquam etiam cum inferioris conditionis hominibus, ob causam urgentem & privatam, præsertim si inter ignorantes matrimonium jam contra-

ctum fuit. Negari tamen non debet, difficiliorem fore dispensationis impetrationem, quò major inter personas, quæ contrahere volunt, est sanguinis, vel affinitatis conjunctio, ad quas dispensationes expediendas multùm sæpè facit personarum, cum tali dispensatione contrahere volentium, qualitas.

§. II.

An in dispensatione aliquibus concessa in linea laterali inæquali attendendus sit, & exprimendus gradus consanguinitatis, vel affinitatis remotior, an verò propinquior.

Si duo sanguine juncti in diverso tamen gradu, in linea laterali, à communi stirpe distantes, matrimonium contrahere velint, remotior quidem ad computandos distantie gradus attendi debet, ut dictum; ad dispensationem tamen validam obtinendam necessarium est, ut si eorum alter uno tantùm gradu à communi stirpe distet, non tantùm remotioris v. g. in tertio gradu distantie mentio fiat, sed in super, quòd unus eorum in primo gradu à communi stirpe distet, prout voluit Pius V. in *Bulla Ascendens per quandam 1566. 26. Augusti.* Aliæ verò dispensationes in aliis gradibus valebunt, si remotioris tantùm mentio fiat, obtentis tamen postea super propinquiore gradu literis declaratoriis, ut noverit scilicet, in quo dispense, Summus Pontifex, & reverentia primo gradui debita observetur.

§. III.

SIT 3

§. VI.